

in novo Pontifice deligendo vis, magna auctoritas inerat, petenti pernegare purpurati non potuere, quin Collegii nomine ad Ursinum literas darent, quibus civitatem Octavio tradi juberent. Verum iis nihil Camillus permotus, rescripsit, novo Pontifici Parmam, quæque illi Paulus commendasset, optima fide redditur. Ea sane in urbe retinenda Ursini insignis adeo constantia fuit, ut nullis quantumvis ingentibus præmiis ab instituto deduci potuerit; Venetis per nuntium significaverit, Parmam se integra fide novo Pontifici traditurum; interea vero Ecclesiæ nomine defensurum. Et quoniam pecuniae inopia premebatur, eam vim, quæ Senatui videretur, sibi suppeditari petebat; qui gravissimis causis se detineri respondit, quin Ursino satisfaceret, vel ex eo Reipublicæ voluntatem perspicere potuisse, quod complures ex suis ditionibus ad opem illi ferendam confluxissent. Ursinus quam Venetiis asservabat pecuniam, eam sibi Parmam deferri jussit. Cæsare vero eodem tempore a Venetis petente, ne Parmæ ex suis ditionibns milites adesse, neu arma in eam urbem importari permitterent, nihil esse, quod se iis curis Respublica implicaret, responsum est.

1549  
Cardinalis  
Collegium  
Ursino im-  
perat, ut  
Octavio  
Farneso  
Parmam  
tradat.  
Camilli Ur-  
sini consta-  
tia in Par-  
ma novo  
Pontifici  
custodiæda.

Camillus  
Ursinus a  
Venetis pe-  
cuniam po-  
stulat.  
Senatus re-  
sponsum.

Romæ novem dialibus exequiis de more habitis, de Pontifice eligendo magna animorum contentione agebatur, Patribus in diversas partes distractis, qui perniciosa Cæsareanarum, ac Gallicarum factionum nomina in sacra illa comitia intulerant, & in eo quisque maxime laborabat, ut is in demortui locum, qui suarum esset partium, sufficeretur: cum Cæsar ad præsentem Italæ statum retinendum Pontifice sibi addicto maxime opus esse intelligeret; Henricus Galliæ Rex, qui nunquam ab Italicis rebus animum revocaverat, Pontificis auctoritate, ac favore subnixus, bello Cæsarem in Italia laceffere haud difficulter posse arbitraretur; eo majori spe ductus, quod, gliscente denuo cum Anglis bello, per eos dies ejus copiæ hostium munitiones quasdam in Belgio, quibus Bononiæ obsidione arcebatur, occupassent, Britannique civilibus tumultibus, ac religionis diffidiis laboraret. Veneti ex vetere instituto literas ad Cardinalium collegium dedere, quibus summum ei dignitatis gradum deferendum hortabantur, qui reipublicæ christianæ afflictis, ac perturbatis rebus consilio, &

Senatus li-  
teræ ad  
Cardinaliū  
collegium de  
Pontifice  
eligiendo.